



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Divi Bambergenses S. Henricvs Imperator S. Kvnegvndis  
Imperatrix S. Otho Episcopvs**

**Gretser, Jacob**

**Ingolstadii, 1611**

Sermo In Translatione S. Ottonis Episcopi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41527**



SERMO IN TRANS-  
LATIONE S. OTTONIS  
EPISCOPI.

**M**emoriam iusti cum laudibus celebrare nos mo-  
net sermo diuinus, vt deuotio nostra, quæ debi-  
tum iustis impendit honorem, nobis proficiat ad  
salutem. Ad hoc siquidem iustorum memoriam  
frequentamus, vt dum iugiter illorum gloriam contempla-  
mur, exemplis eorum instructi, mundum cum suis obleta-  
tionibus spernamus, & ad gaudia vitæ immortalis toto desi-  
derio anhelemus. Vox est gratulationis, vox est exultationis  
& salutis, quæ resonat in ore fidelium, laudibus prosequens  
sanctam venerandamque iustorum memoriam. *In memoria a-* *Psal. III.*  
*terna erunt iusti, & ab auditione mala non timebunt.*

Quænam vberior lætitia, quæ maior iucunditas, quæ ex-  
cellentior est dignitas, quàm iusti animam & apud Deum æ-  
ternæ beatitudinis præmia possidere, & in Ecclesia sanctorum  
habere laudem, & inter benedictos benedici? In illo itaque  
cœtu iustorum clarissimo, quorum nomina beatæ prædesti-  
nationis liber in supernis ascripta retinet; quorum memo-  
riam sanctam Ecclesia venerabiliter recolit, egregius Præ-  
sul Otto vita & moribus præclarus emicat, qui in diebus suis  
ad exornandam sponsam Christi Ecclesiam, Virtutum insigne  
prætulit decus, verbo & exemplo *lucens omnibus qui in domo Dei* *Matth. 5.*  
*sunt.* Erat siquidem ardentissimus sanctæ religionis amator,  
ac strenuus diuini cultus propagator. Ecclesiæ sanctæ, cui au-  
ctore Deo præfuit, omnimodis magis prodesse, quàm præf-  
se studuit; nõ dominari in clero affectabat; sed, sic se gregi suo



conformare atque cooptare satagebat, vt tanquam pater filios miro pietatis affectu omnes foueret.

Nam adedò visceribus misericordiæ affluebat, tantaque charitatis amplitudine sinum dilatabat, vt summâ vigilantia omnium curam gereret, ac sollicita circumspessione prouideret, ne vel cibus doctrinæ spiritualis, vel alimonia corporalis indigentibus deesset. Sic sibi commissam Babebergensem regebat Ecclesiam, vt præter illa, quæ specialiter ad eius curam pertinebant, de his quoque, qui in remotis terræ partibus erant, paternam sollicitudinem gereret. Voluebat siquidem animo, quo ingenio, qua industria, qua ratione ad id pertingere posset, vt de faucibus antiqui hostis erueret animas vario gentilitatis errore delusas. Proinde desiderium animæ eius tribuit ei Dominus; & quod eo inspirante fideliter expetiit, eius celeri largitate perfecit. Denique Pomeranorum fines ingressus, prædicationis verbo, lauacro sanctæ regenerationis nouam Christo familiam lucratus est, multaque hominum millia gremio sanctæ matris Ecclesiæ sociauit.

Gaudeat ergò bonus agricola, qui de terra illa, quam in sudore vultus sui indefessus coluit; de qua spinas & tribulos in fidelitatis eradicauit; cui in tempestate persecutionis verbi diuini semina committere non cessauit, tam vberem fructum fidei metit; tam multum fidelium messem colligit; re vera operibus manuum eius benedixit Dominus; per quem ouium suarum numerum auxit; per quem terminos possessionis suæ adedò dilatauit; illius, inquam, possessionis de patre ad filium: *Postula à me, & dabo tibi gentes hereditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ.*

*Psalm. 2.*

Ecce vir iste beatus, iam de corruptione huius vitæ ad incorruptionis gloriam translatus, fines intrauit possessionis magnæ: vbi in domo summi Patris familias splendidum possidet mansionis locum. Hæc est illa domus spaciola, hæc illa possessio amplissima, de qua scriptura loquitur ad Israël. *O Israël, quàm magna est domus Dei, & quàm ingens locus*

*Baruch. 3.*

*posses-*



possessionis eius. Hæc est hæreditas pij patris nostri Ottonis, qui propter Christum nihil in hoc mundo possidere affectabat veraciter. Namque cum Propheta dicere nouerat; *Dominus Psalms. 15. pars hereditatis meæ.* nam partem illam hæreditatis, quàm in seculo habuit, ad opus pietatis ex toto conuertit, ac patrimonij sui hæredem Christum fecit, vnde gaudens in spe celestium bonorum, Domino cum Psalms. 15. *Tu es qui restitues hereditatem meam mihi.*

Speciali prærogatiua charitatis monachos fouebat, quos in monasteriis, quæ ipse copiosis sumptibus diuersis in locis construxit, temporalibus subsidiis sustentans nomini Domini, quotidiana præparauit obsequia. Hinc pater monachorum iure appellatur. hinc vt fidelis & prudens dispensator Ecclesiastica familiæ, cælesti remuneratione dignus super omnia bona Domini constitutus est. Tanta siquidem pius Pater solitudine necessitatibus pauperum communicabat, vt lætaretur in refectione illorum, quos suis impendijs satiabatur: iucundaretur vestitu eorum, quorum nuditatem indumentis necessariis contegebat. Sentiebant humanitatem eius ægrotudines decumbentium, imbecillitates debilium, labores exulum, destitutio pupillorum, desolataram lamenta viduarum, in quibus iuuandis præcipuam solitus erat exercere beneuolentiam.

Huius ergò Patris merita gloriosa dignis attollamus præconiis, cuius venerandam memoriam translationis ipsius anniuersario die sincera filiorum deuotio se suscepisse gratulatur. Tempus quippe instat, quod ad laudandum virum iustum opportunum fore sacra scriptura insinuat. Nam sicut *Ecclesi. 12.* ex auctoritate sacri eloquij laudare hominem in vita sua prohibemur, sic laudare post consummationem iubemur. Laudanda est militis fortitudo, sed postquam deuicto hoste triumphum obtinuerit. Laudanda est nauigantis felicitas. Sed cum nauem ad litus perduxerit. Quamobrem memoriæ hominum dare laudem magis debemus, quàm vitæ, quia, quandiu vita nostra super terram tentationibus



exercetur, dubio belli exitu, inter carnem & spiritum certamen agitur. Nec prius securè quisquam laudatur, quàm post huius carnis terminum bonum certamen se certasse, fidemque seruasse lætatur. Hinc denique & apud Deum corona iustitiæ vita decoratur, & apud homines dignis præconiis honoratur. Tunc etenim vtiliter quisque meritam laudem consequitur: quando nec laudantem notat adulatio, nec laudatum tentat elatio.

2. Tim. 4.

Nos proinde translationem dilecti patris nostri Othonis cum laudibus celebremus, qui vt meritò laudari ab omnibus debeat, laudabilè vita ipse promeruit. Siquidem laus eius ipse Christus est, qui glorificantem se seruum suum glorificabat, qui in opus sacri ministerij illum adsciuit, qui in adificationem corporis sui, quod est Ecclesia, sacerdotio eum fungi, & habere laudem in nomine ipsius decreuit. Eius nempe industria sanctæ Ecclesiæ structura & corporalibus profecit spaciis & spiritualibus amplificata est augmentis.

Ephes. 4.  
Ecclef. 48.

BVL.